

innumeras pastoralis officii sollicitudines huic incommodo consulere intendens, benigne eisdem eorumque in perpetuum successoribus impertitur plenariam indulgentiam, etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, quater in anno lucranda in quacunque die qua peccata sua fuerint confessi, missam celebraverint, vel saltem sacram susceperint communionem; dummodo tamen eadem die ferventes ad Deum pro sanctæ fidei propagatione preces effuderint.

« Christi fidelibus vero utriusque sexus in dictis regnis existentibus idem SS. D. noster præfatam plenariam indulgentiam bis in anno in perpetuum concedit quatenus et ipsi iisdem diebus supra scripta opera fideliter religioseque adimpleant.

« Per hanc autem indulgentiarum concessionem eadem Sanctitas Sua non intendit, aut revocare, aut irritas declarare alias quascunque indulgentias vel a se, vel a prædecessoribus suis concessas, vel in posterum concedendas, et quas, non omissis cæteroquin operibus injunctis, supradicti episcopi, vicarii, apostolici, et missionarii cæterique Christi fideles lucrari possent.

« Et ne pontificia hæc dispositio ab aliquo illorum ignorari contingat, episcopis et vicariis apostolicis præcipit et mandat ut præsens decretum populis suæ jurisdictioni subjectis meliori, quo poterunt, modo notum faciant atque significant, ut de Ecclesiæ thesauro participare possint et valeant.

« Datum Romæ, ex Ædibus dictæ sacræ Congregationis die et anno quibus supra.

« Stephanus BORGIA,

« Sac. congreg. de Propaganda Fide, secr.

« Loco ✕ Sigilli. »

Alterum Pii sexti decretum nunc accipe.

Ex audientia SS. D. N. D. Pii PP. VI  
habita die 5 Januarii 1777.

(49. Cum ad plenarias lucranda indulgentias necesse sit ut sacramentalis peccatorum confessio præmittatur, vel saltem juxta indultum Christi fidelibus omnibus a sanct. mem. Clem. XIII, sub die 9 Decemb. 1763, concessum, omnino oporteat ut qui eas consequi cupiunt semel saltem in hebdomada ad hoc sacramentum, nisi legitime impediantur, soleant accedere, et nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi consciis sint per quod indultum sanct. mem. Clemens XIV die 17 Maii anni 1772, declaravit fuisse derogatum quibuscunque aliis peculiaribus indultis, etiam illis a sanct. mem. Clem. XII per organum sac. congr. de Propaganda Fide missionariis in regionibus infidelium degentibus concessis, acquirendi scilicet indulgentias plenarias cum solo actu contritionis et confessione in voto, quoties confessariorum copia desit; cumque in regionibus Sinarum, Tunkini, Siam, Cocincinæ, Ciampæ et Cambodiæ tanta sit hujusmodi confessariorum paucitas ut fideles difficillime possint semel saltem hebdomada ad hoc sacramentum accedere,

proindeque valde incommodum sit sacramentalem confessionem exercere iis certis diebus qui ad lucrandas indulgentias præscripti sunt atque præfixi, idcirco SS. D. N. Pius divina providentia PP. VI ad relationem mei infra scripti sac. congregationis de Propaganda Fide secretarii in audientia habita die 5 Januar. anni 1777 declaravit Christi fideles, etiam triduo ante confessos lucrari posse indulgentias plenarias, dummodo nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi sint consciis, et ne pontificia hæc dispositio ab aliquo illorum ignorari contingat, episcopis et vicariis apostolicis præcipit et mandat ut præsens decretum populis suæ jurisdictioni subjectis meliori, quo poterunt, modo notum faciant atque significant ut de Ecclesiæ thesauro participare possint et valeant.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ sac. congregationis die et anno quibus supra.

Stephanus BORGIA,

Sac. congr. de Propaganda Fide, secr.

#### ARTICULUS III.

*Indulgentia quoad ea quæ concernunt ejus effectum et tempus acquirendi tam pro vivis quam pro defunctis.*

(1. Effectus indulgentiæ non est remittere peccatum, neque mortale, neque veniale; *Commun.* cum Maldonato t. I de Pœn, q. 6 tit. de Ind. par. 1 qu. 1, ubi sic expresse dicit: « Uno ore omnes theologi, nemine excepto, respondent indulgentiam non esse remissionem culpæ, sed pœnæ. » Unde quando in forma seu concessione indulgentiæ dicitur per illam concedi remissionem peccatorum, accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud II Machabæor. XII, ibi: *Ut a peccatis solvantur*; et, quando vocatur indulgentia a pœna et culpa, intelligitur quod per talem indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa etiam reservata, ut fuit dictum art. 1 n. 3. (2. Effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis residuæ et restantis; *Commun.* (3. Pœna autem temporalis relicta et restans ex peccatis condonatis luenda ab homine est duplex: una, ad quam persolvendam homo obligatur ex sacramentali pœnitentia a confessario injuncta; altera, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel in Purgatorio est obligatus a justitia Dei; *Commun.*

(4. Unde indulgentiæ plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in foro sacramentali, seu liberare totaliter pœnitentem ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam, etiam medicinalem sibi impositam a confessario; Sic S. Th. in 4 dist. 20 q. 2 art. 3 q. 1; S. Bonav. in 1. iv dist. 20 art. 1 q. 2; Gobat tract. 4 Indul. part. II, c. 3 n. 24; Kazenb. loc. cit. n. 40; Lugo tom. VI disp. 27 sect. 2 n. 22, et, ipso teste, communis aliorum. (5. Et hanc conclusionem probat l. c. n. 23, primo, ex c. *Cum ex eo* 14 de Pœnit. et remiss. ubi Innoc. III dicit « per indiscretas et superfluas indulgentias satis-

factiones sacramentales enervari: » ergo ideo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias; alioquin, si manet obligatio implendi illas saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Secundo probat ex Bonifacio VIII qui, ut refert Glossa in extrav. *Antiquorum*, de Pœnit. et remis., volebat confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis qui Jubilæum anni sancti lucrabantur, quia nimirum satisfactione alia non indigebant, et auctor ipsius glossæ dicit se id ab ipsomet pontifice audivisse, ut observat etiam Lugo loc. cit. n. 17. Tertio probat ratione a priori, quia Confessarius imponit pœnitentiam ut pœnam ad satisfaciendam pro peccato; ergo, sublato debito totius pœnæ prout fit per indulgentiam plenariam, cessat omnino fundamentum illius obligationis, sicut, si condonaretur a principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso cessaret obligatio imposita per sententiam judicis ad pœnam aliquam pro illo delicto subeundam.

(6. Nec valet dicere, quod per lucrationem indulgentiæ plenariæ tollatur quidem obligatio implendi pœnitentiam sacramentalem impositam a confessario, quatenus est satisfactoria pro peccatis præteritis, non autem quatenus est medicinalis pro præcavendis peccatis futuris. Non valet, inquam, quia licet pœnitentia subinde etiam imponatur ut medicina, confessarius tamen illam imponere non potest nisi in pœnam peccati: sicut, licet judex procurare debeat quod pœna delinquentis sit talis ut simul sit medicina in futurum, non tamen posset illam pœnam imponere etiam ut medicinam, si illa pœna fuisset a principe condonata: ergo, si per indulgentiam plenariam condonatur et remittitur pœnitentia ut satisfactoria, etiam tollitur ut medicinalis. (7. Nec etiam valet dicere quod adhuc remaneat obligatio implendi pœnitentiam, saltem propter reverentiam sacramenti et ejus integritatem, ne maneat sacramentum imperfectum sine una parte integrante. Non valet, inquam, quia sacramentum pœnitentiæ non exigit pro parte integrali satisfactionem sacramentalem, nisi ex supposito quod adhuc adsit pœna temporalis satisfacienda seu solvenda, cum ad hanc remittendam illa unice possit juste debet a confessario, adeoque, satisfacta et soluta seu remissa omni pœna temporali restante, non requiritur amplius talis integritas satisfactionis, cum non amplius possit juste exigi satisfactio ab eo qui jam integre satisfecit et debitum jam integre solvit, vel remissionem debiti integre consecutus est, ut verificatur in eo qui lucratus est indulgentiam plenariam. Unde post lucrationem ipsius, nec reverentia sacramenti, nec confessarii præceptum obligabit eum ad pœnitentiam adimplendam. Sic optime Lugo l. c. n. 24, et 27; Kazenberger l. cit. n. 40, et alii.

(8. In praxi tamen tempore indulgentiæ etiam plenariæ decet quod confessarius semper imponat pœnitentiam saltem *medicinalem* et *præservativam*, quando judicat necessariam, eamque pœnitens admittat, quamvis indulgentiam plenariam certo consequatur,

quia hoc necessarium judicat Suarez apud Mastrium Theolog. moral. disp. 23 q. 2 num. 29, et alii. Imo tenetur confessarius injungere pœnitentiam *medicinalem* atque etiam *vindicativam* seu *satisfactivam*, quando probabiliter credit pœnitentem non consecutum esse, aut mox non consecuturum esse indulgentiam plenariam, teneturque pœnitens in tali casu illam adimplere. Si autem confessarius probabiliter credat pœnitentem jam consecutum esse, aut mox consecuturum esse indulgentiam plenariam, potest omnem pœnitentiam, in quantum est vindicativa seu satisfactiva, omittere juxta sanctum Thomam, S. Bonaventuram, et plurimos antiquiores et recentiores apud Tannerum, Dianam et Gobat de Jub. cap. 23, ob rationes num. antecedenti allatas. Ob reverentiam tamen sacramenti pœnitentiæ convenit confessario levem saltem pœnitentiam injungere, et pœnitenti eam adimplere, quia licet non sit necessaria pro satisfactione pœnæ temporalis debitæ, cum supponatur integre remissa per lucrationem indulgentiæ plenariæ, prodest tamen multum ad meritum, quod pluris faciendum est quam redemptio pœnæ temporalis, ut recte cum aliis advertit Lugo loc. c. n. 31.

(9. Indulgentiæ plenariæ effectus est etiam remittere omnem pœnam debitam in foro Dei, id est omnem pœnam relictam ex peccatis dimissis, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel in Purgatorio est homo obligatus a justitia Dei. Sic S. Thomas in 4 disp. 20 qu. 1, art. 3 quæstiuncul. 1 communiter receptus ab omnibus recentioribus, ut testatur, et sequitur Gobat loc. cit. num. 25, et est jam communis et certa doctorum sententia, ut testatur Lugo loc. citat. num. 7. Imo, ipso teste, docet Suarez disp. 50, sect. 2 de fide esse papam virtute clavium habere potestatem remittendi pœnam illam etiam in foro Dei; et de facto Sixtus IV damnavit sequentem Petri Oxoniensis propositionem: « Papa non potest indulgere alicui viro pœnam Purgatorii; » Sic refert Kazenberger loc. cit. n. 39. (10. Nec valet dicere cum nonnullis antiquis per indulgentias non relaxari pœnam in foro Dei, sed solum remitti pœnitentiam in foro sacramentali debitam, id est obligationem implendi pœnitentiam a confessario injunctam. Non valet, inquam, quia, ut optime eos confutant S. Thomas loc. cit.; Lugo loc. cit.; Gobat loc. cit.; Kazenberger loc. cit., et alii passim, sequeretur ex eorum sententia, quod Ecclesia concedendo indulgentias potius obesset quam prodesset fidelibus, cum sic illos liberaret levibus pœnitentiis, et remitteret ad graviore pœnas Purgatorii; clarum enim et manifestum fidei gravamen esset velle per indulgentiam remitti solum debitum implendi pœnitentiam relinquendo debitum pœnæ, cum esset utilius pœnitentibus implere ad redimendam pœnam ipsa sine dubio graviorem. Unde, cum Tridentinum concilium sess. 23 c. 21 in decr. de Indulgent., definiat: « Indulgentiarum usum esse populo Christiano maxime salutarem, » patet eorum sententiam essa-

falsissimam. (11. Quod hactenus dictum est de effectu indulgentiæ plenariæ hoc proportionaliter et suo modo applicandum est etiam indulgentiæ partiali. (12. Effectus cujuscunque indulgentiæ non est remittere pœnam debitam pro peccato veniali nondum remisso, quia pœna non potest remitti, nisi prius remissa culpa; Kazenberger l. c. n. 8; Gobat l. c. par. II n. 278; Felix Potestas tom. I part. IV c. 8 de *Indulgentiis*, n. 2788; Reiffenstuel Theol. moral. tr. 12 dist. 3 q. 2 n. 12, et 13, et ipso teste communis aliorum.

(13. Indulgentiæ possunt a summo pontifice concedi et applicari etiam defunctis qui in Purgatorio delinuntur; *Communis ac certa*. Id enim constat ex communi usu, et praxi Ecclesiæ in qua nihil tam usitatum est quam applicare indulgentias pro defunctis, ut tradit Joann. VIII in epist. 144, et Leo X, in Constit. incipien. *Exsurge, Domine*, contra Lutherum. (14. Non possunt tamen ipsis defunctis concedi indulgentiæ per modum absolutionis habentis annexam solutionem, sicut conceduntur vivis, sed solum per modum suffragii, seu piæ solutionis, et exhibitæ satisfactionis. *Communis* fere omnium Theologorum cum S. Thoma in 4 dist. 45, quæst. 2 art. 3, quæst. 2; S. Bonaventura part. 2, artic. 1, quæst. 5; Mastrius theolog. moral. disp. 23, qu. 4, num. 57; Kazenberger loc. cit. num. 43; Reiffenstuel Theol. moral. tract. 12, dist. 3, q. 4, num. 41 et 42. Et ratio est, quia summus pontifex Christi in terris vicarius non habet jurisdictionem in defunctos sicuti in fideles viventes, cum acceperit a Christo potestatem solvendi solum *super terram*, non vero *sub terra*. Qui autem non habet jurisdictionem in alium tanquam sibi subditum nequit eidem concedere indulgentias per modum absolutionis, quia concedere indulgentias per modum absolutionis est actus jurisdictionis, adeoque summus pontifex nequit defunctis concedere indulgentias per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii.

(15. Indulgentia autem per modum absolutionis differt ab indulgentia per modum suffragii specialiter per hoc quod indulgentia per modum absolutionis conceditur quando superior sibi subditum immediate et directe liberat a pœna temporalis. Sic summus pontifex tanquam superior et minister a Deo constitutus immediate et directe liberat fideles vivos tanquam sibi subditos a pœnis temporalibus relictis in peccatis jam quoad culpam dimissis, concedendo eis indulgentiam *per modum absolutionis* habentis tamen annexam solutionem; quia hæc absolutio fit cum aliqua solutione ex thesauro Ecclesiæ, scilicet, applicatione et exhibitione satisfactionum Christi et sanctorum. Indulgentia vero *per modum suffragii* dicitur concedi, quando non immediate et directe, sed indirecte et mediate, scilicet mediante actione alterius. Sic summus pontifex concedit indulgentias defunctis, mediantibus aliquibus piis viventium fidelium operibus tanquam premium æquivalens ex thesauro ecclesiæ Deo oblatum pro solutione illarum animarum qui-

bus mente pontificis applicatur. Sic videtur insinuare, aut potius supponere S. Thomas in 4, dist. 45, qu. 7, art. 3 quæstiuncul. 2, ubi dicit indulgentias concedi defunctis « non directe et principaliter, sed tantum secundario et indirecte; » et videtur esse communior doctorum quamvis alii aliam explicationem afferant, ut videre est apud Gobat, tract. 4, de Indulgent., part. 2, a num. 477; Filiuc. tom. 1, tract. 8, cap. 8, num. 104 et sequent.; Lugonem, tom. VI, disp. 27, sect. 5, a num. 58 ad 73 inclusive.

(16. Indulgentiæ pro defunctis rite concessæ et acquisitæ secundum ordinariam Dei legem prosunt certo et infallibiliter illis determinatis animabus quibus ex intentione summi pontificis applicantur, ita ut animæ illæ de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii sibi applicato juventur, vel ad totalem remissionem pœnæ et totalem liberationem e Purgatorio, si indulgentia est plenaria, vel ad partialem, si indulgentia est partialis; Navarr. de Indulgent. et jubilæo notabil. 22; Lugo tom. VI, disp. 47, sect. 5, n. 59; Roderic. tom. II, quæst. Regular. qu. 97, art. 3; Gobat loco citato num. 484; Filiuc. tom. I, tract. 8, cap. 8, n. 208; Suarez tom. IV, disp. 53, sect. 4; Sotus quæst. 2, art. 3; Reiffenstuel Theol. moral. tract. 12, quæst. 4, dist. 5, num. 44; Herinex disp. 4, de Sacramento Pœnit. quæst. 8 n. 66, et apud ipsum Bellarminus, Arriaga, Dicastillus, et alii Kazenberger loc. cit. numer. 43, ubi cum aliis testatur sic tenere recentiores communiter, Mastrius Theolog. moral. disp. 24, num. 47, asserens hanc esse communiorem et probabilior sententiam; P. Roa de Purgatorio cap. 15; Raynald. sect. 3, punct. 1, a num. 17, punct. 5, a num. 9, punct. 6, n. 12, citatus et secutus probabiliter a La Croix lib. VI, part. II, num. 1330, qui lib. VI, par. II, num. 534, dicit quod, si impleantur conditiones requisitæ, effectum liberationis determinatæ animæ esse infallibilem ut tenent S. Thom., Ledesma, Sotus, Valent., Coninch., Less., Filiuc., Castropal., Diana, Gran., Lugo, Tanner., Mendo d. 13, num. 96; Arriaga d. 15, sect. 1, et optime Suarez d. 79 sect. 10, ubi ostendit S. Augustinum, Chrysostomum et Cyrillum idem sentire, et dicit quod contrarium tenent S. Bonaventura, Richardus, Durand., Cajetan., Cordub., Bonac., Layman, Amic., et alii multi.

(17. Ratio autem nostra est quia Leo X in Const. incip. *Exsurge, Domine*, contra Lutherum absolute et æqualiter absque hæsitacione promittit effectum suum illis indulgentiis quæ applicantur defunctis, ac illis quas sibi vivi lucrantur; dicit enim expresse: « Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, tanta temporali pœna secundum divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari quanta concessæ et acquisitæ indulgentiæ æquivalet. Et ita ab omnibus teneri et prædicari debere sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, etc., auctoritate apostolica decernimus; » atqui indulgentiæ rite concessæ et acquisitæ infallibiliter prosunt

illis vivis qui eas sibi lucrantur, ergo etiam debent prodesse infallibiliter illis determinatis defunctis quibus applicantur. Tum quia summi pontifices in Brevibus altarum privilegiorum concedere solent, *Ut quicumque sacerdos*, servatis servandis ac diebus in Brevi specificatis, « Missam Defunctorum pro anima cujuscunque fidelium defunctorum ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de Thesauro ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri, etc., suffragantibus meritis a Purgatorii pœnis liberetur. » Ubi ut vides ex *ly pro anima cujuscunque*, et *ly anima ipsa* videtur promitti liberatio animæ determinatæ a Purgatorio. Tum etiam quia licet Deus, ut recte probat Kazenberger loc. cit. num. 44, non teneatur acceptare applicationem indulgentiarum defunctis factam ex eo, quasi papa haberet immediate jurisdictionem in defunctos, tamen ex eo tenetur Deus acceptare applicationem indulgentiarum defunctis factam a papa, quia Deus voluit in ecclesiâ esse communionem Sanctorum; quare ex decreto hujus communionis inter ecclesiam Triumphantem, Militantem atque etiam Purgantem, tenetur acceptare illas satisfactiones, sive pro vivis, sive pro defunctis oblatas; et sic si infallibiliter prosunt illis vivis qui eas sibi lucrantur, etiam infallibiliter debent prodesse illis determinatis defunctis quibus applicantur.

(18. Nec valet dicere quod Deus non acceptet indulgentias semper pro omnibus illis quibus applicantur, sed pro illis qui ex hac vita decesserunt magis digni tali gratia quia v. g. in vivis fuerunt magis solliciti in acquisitione indulgentiarum et oratione pro defunctis, ut in simili de Missæ sacrificio, elemosynis et orationibus dicit S. Augustinus lib. *de cura pro mortuis* cap. ultim. relatus in cap. *Non æstimemus* 19 caus. 13, quæst. 2, his verbis: « Non pro quibus fiunt omnibus prosunt, sed his tantum pro quibus dum vivunt, cooperantur ut prosint: » et in cap. *Tempus* 23, ead. caus. et qu. his verbis: « Sed hæc eis prosunt qui cum viverent hæc sibi, ut postea possent prodesse, meruerunt. » Non valet, inquam, quia licet etiam de mente S. Augustini credibile sit quod Deus facilius pro illis defunctis qui in vita fuerunt magis solliciti pro acquisitione indulgentiarum et oratione pro mortuis acceptet, nedum, missæ sacrificia, orationes, elemosynas, jejunia et alia hujusmodi suffragia, sed etiam indulgentias generaliter pro defunctis omnibus applicatas, hoc tamen (secundum legem Dei ordinariam) non videtur dicendum de indulgentiis pro aliquo determinato defuncto applicatis, nisi hic ex speciali Dei providentia et dispositione fuisset merito privandus, ex quo, dum viveret, alios defraudasset similibus debitis suffragiis et indulgentiis, ut de exemplo Promi numero sequenti referendo.

(19. Nec valet objicere quod soleat sæpius pro una et eadem anima in altari privilegiato sacrificari, et indulgentia plenaria applicari, quod esset superfluum, si indulgentia certo

et infallibiliter prodesset pro illa determinata anima cui applicatur. Non valet, inquam, quia merito pro una et eadem anima plures missæ etiam in altari privilegiato celebrantur, et plures indulgentiæ plenariæ applicantur propter varias rationes. Primo, quia non constat an causa ob quam pontifex concessit indulgentiam plenariam sit justa et sufficiens, defectu cujus sufficientis justæ causæ est invalida etiam indulgentia concessa a papa, ut ex communi diximus artic. 2, num. 33. Secundo, quia non constat an et quomodo prior sacerdos celebrans applicaverit suam intentionem, seu an altare in quo celebravit habeat omnia requisita ad esse privilegiatum. Tertio, quia non constat an qui plenariam indulgentiam alicui animæ applicavit omnes condiciones necessarias impleverit. Quarto, quia ignoratur an non ob aliquam peculiarem causam velit Deus circa hanc, aut illam animam facere exceptionem a sua generali promissione, scilicet ob rationes omnino peculiare, non permitiendo ut indulgentia in actu secundo prosit huic certæ animæ, ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo cœnobii Promo qui vivus defraudaverat defunctos subsidio elemosynæ per abbatem constitutæ, sic refert Raynaudus tom. VII p. II, q. 5 fol. 289 col. 1 et 2; et ex ipso Gobat tr. 4 de Indulgent. p. II cap. 19 num. 458 et cap. 22 num. 486. Quinto, quia nostra sententia nondum est omnino certa, quamvis sit probabilior atque communiior inter theologos; unde merito pro eisdem animabus reiterantur missæ, sacrificia, et indulgentiæ, « Melius enim supererunt ista eis quibus non obsunt quam eis deerunt quibus prosunt, » ut docet S. Augustinus relatus in cit. cap. *Non æstimemus* 19, caus. 13, q. 2.

(20. Quod autem plures animæ remanent adhuc in pœnis Purgatorii non obstantibus missarum sacrificiis et indulgentiis plenariis pro ipsis applicatis et a Deo acceptatis, hoc oritur ex quo ipsæ descenderint in Purgatorium cum peccatis venialibus nondum quoad culpam dimissis. Unde indulgentiæ etiam plenariæ nequeunt tollere, seu remittere pœnas a talibus animabus persolvendas, cum pœna non tollatur, seu non remittatur, nisi prius remissa culpa, ex dictis supra num. 12. Culpa autem venialis nequit remitti per indulgentiam etiam plenariam (hæc enim remittit solam pœnam) sed per satisfactionem propriam usque ad novissimum quadrantem extinguere debet in Purgatorio, ut recte docet Scotus in 4 dist. 21 quæst. 1, et omnes sui apud Mastrius in 4 disputat. 4 quæst. 9, et Kazenberger loco cit. num. 45.

(21. Ut quis lucratur indulgentias pro defunctis, non requiritur quod sit in gratia, seu opera requisita adimpleat in statu gratiæ. Navarr. in Comment. de anno Jubilæi notab. 22 num. 31; Graff. in Append. dec. aur. lib. II, tit. de Indulg. cap. 1, n. 21, et 36; Monacell. tom. II, Formular. 6, n. 2; Felix Potestas tom. I, part. 4, num. 3789; Raynaud sect. 3, part. 5, numer. 23; Escob. t. VII E.